

Rhen. sup.
OS, 8

Dresden 1770. I. 15
Rhen. sup. Vol. 3. Braunf.

H.-Sax. 1098.

ORATIO FUNEBRIS:

Super

LUCTUOSA MORTE,

Generosissimi & fortissimi He- rois, Domini, Domini

OTTONIS,

Comitis in SOLMS, Domini in Münzenbergk, Wildenfels & Sonnenvald, &c.

Aulæ Electoralis Palatinæ supremi
Mareschalli, &c.

S C R I P T A

四

JOSIA GLASE
ARGENTORATENSE,

E T

PUBLIC HABITS.

In Electorali Academia Heidelbergensi,

Ad diem xvi Julii Anno M D C X

בג

Mixti ac Generoso Dno
Ioanni ALBERTO, hi
Comiti in Solis. Dno in
Trenbergse Dne si
Omenti, submissè offi
ffutor

PROSAPIA GENEROSA,
VIRTUTE HEROICA, GLORIA
RERUM, TAM PACE QUAM BELLO
GESTARUM MAGNIFI-
CA, VERE

ILLUSTRIBUS AC GENEROSIS

INCLUTÆ ET ANTIQUISSIMÆ BRAUNFEL-
SIANÆ SOLMENSIMUM FAMILIAE
COMITIBUS, &c.

DOMINIS ET PATRONIS DE ME
MEISQUE OPTIME MERITIS:

HÆC

EX EQUIALIA
GENEROSISSIMO
DOMINO


Dn. OTTONI
HABITA:

FRATRIBUS PROPINQUIS, &c.
EJUS, PERPETUÆ GRATITUDI-
NIS ERGO SUBMISSE

DICO ET CONSECRO

JOSIAS GLASER.

ORATIO.



ASCENTES morimur,
finisq ab origine pen-
det, inquit ille: mistaq
senum & juvenum
densari funera ; non
modò veteres suo secu-
lo experti sunt, verùm
& nos hodieque, magno boni publici damno,
próh-dolor, mature & intempestivè nimis ex-
perimur. Superioribus namque diebus amisi-
mus generosissimum illum & incomparabi-
lem heroem, Dominum OTTONEM Junio-
rem Comitem Solmensem, &c. Cujus præma-
tura mors, quantum luctus bonis omnibus at-
tulerit, non mei instituti est jam pluribus re-
censere; cùm adhuc universi Palatinatus, si
non totius Germaniae mæror, abundè omni-
um bonorum animos vultusque largiter obsi-
deat: mei saltem muneris erit, bona ve-
strâ cum gratiâ, ultimo prosequi honore bea-
tæ Illius animæ manes; ac magna gratitudini
testandæ, qualem cunque verborum ei con-

A 2

struere aram: idque, non ornato atque polito
Orationis genere, sed simplicia atque succincto;
quo & alioqui defunctus Ipse maximè delecta-
batur. imitatus eo pictores, qui ut immensas
regiones parvula tabula ambitu circumscri-
bunt, & ob oculos ponunt: ita ego innume-
ras ejus laudes, quarum singula, singulas o-
rationes exposcerent, carptim solummodo
atttingam, & quasi punctis quibusdam signa-
bo; ut me & patientia vestra, & temporis, &
tenuitatis meæ rationem habuisse, probè intel-
ligatis. Quod dum facio, adeste quæso a-
nimis, Auditores, & date benignè veniam,
si ego homo-juvenis, & in hoc exercitii genere
minimè confirmatus, politissimo vestro judi-
cio indignum quid attulero; utpote, qui ab-
undè mihi consecutus videbor, si studium me-
um, grataque animi officium non desiderave-
ritis. Et solent quidem plerique in hisce
Exequialibus, quasi præscripto quodam, Pa-
triam, Genus, Educationem laudare. neque
id cùm faciunt, sine certa ratione faciunt.
Nam si plantæ boni ac feracis seminis, solo
fæcundo depactæ, frequentiq; adjutæ culturâ,
haud

haud difficulter uberes ac laudabiles fructus
ferunt; si fortes creantur fortibus & bonis;
si in juvencis, si in equis patrum virtus est;
nec imbellem progenerant aquile columbam;
quanto id magis consentaneum est usu venire
hominibus, quib. & natura & disciplina da-
tum est, majorum suorum imagines agnosce-
re, eorumque praeclarè gesta sibi ad imitan-
dum proponere? Ingentes quippe sunt ad
virtutem stimuli majorum laudes, factaque
fortia. Id quanquam ita sit, non tamen
ego, Generosissimum Comitem nostrum, ab
alienis, sed propriis, id est, ipsum hominem,
ipsum virum laudare constitui. Nam si de
bonis externis, quæ Natura simul atq; For-
tuna in Ipsum contulerant, verba facere
animus esset; Deum immortalem, quantus
dicendi campus se semibiofferret! Cui enim
ignota est, insignita Ejus corporis, supra qua-
dratam egregie compacta statura, prorsus ad
eum modum, quam in viris, imperio alioqui
dignissimis requirebat antiquitas? Cui veluti
cinnus accedebat, ea vultus comitas, ea ocu-
lorum hilaritas, ut planè representaret P. Sci-

A 3

pionem Africanum, aut adeò Cæsarem Germanicum: qui, ut Historici memoriae prodiderunt, quæcunq; vel pace vel bello moliebantur; cœl luminibus quibusdam illustrata, longè clariora atq; illustriora reddebant.

Multo minus etiam me diffundam oportet, circa splendidissimam Ejus prosapiam; utpote, quæjam aliquot seculis, non Germaniaæ tantum, sed & vicinis longè lateq; locis, sufficerit plures tam pace quam bello viros verè insignes. Quis enim ignorat Patrem Ejus CONRADUM, Virum ob antiquam virtutem & fidem planè Germanicam, ut multis aliis Germaniæ Principibus, sic in primis magno illo & Celsissimo OTTONI HENRICO Electori Palatino, carissimum? Quid de matre ELISABETHA, Matrona Generosissima dicam? quæ ut fratres habuit duos, toto orbe viros celebratissimos, WILHELMVM Auraniae Principem, & JOHANNEM Comitem Nasovium: ita illa ipsa, eo ingenio, iis moribus, eâ vitæ sanctimoniam atq; prudentiam fuit, ut dubitares, an fratres plus gloriae sorori, an soror fratribus plus ornamenti addiderit. Non jam

jam avum PHILIPPVM commemororo, qui
primus Comitatum suum à fermento Pontifi-
cio liberavit: non proavū BERNHARDUM,
cujus fidem, providentiam, dexteritatem
MAXÆMILIANVS primus Imperator, tam
domi quam foris, in gravissimis negotiis, &
expeditionibus maximè Burgundicis, habuit
quamexploratissimam. Quid quæso profe-
ram de OTTONIS nostri Generosissimi ab-
avo OTTONE? cui, si ullus unquam ex po-
steris suis, sapientiâ, rerumq; administrata-
rum amplitudine similis fuit, hic certè fuit, de
quo jam verba facimus. Vterq; enim ob meri-
tum innumera, duob. FRIDERICIS Palatinis,
alter Victorioso, alter nostro FRIDERICO IV.
Electori serenissimo, gratissimus pariter ac u-
tilissimus exsttit. His majoribus ortus,
his parentibus progenitus, Comes noster gene-
rosissimus; iisdem etiam dignam minimeque
degenerem sobolem se præbuit. Nam si
gentis atq; familia, non minus quam arboris
generositas, ex fructuum probitate cognosci-
tur, & ex virtutis suæ merito diligitur, (quod
meritum, quo diutius in eadem stirpe per plu-
res æ-

res etates transfunditur , eò certè pretiosior
atque generosior habetur) Ille profectò præ
cateris maximè diligendus venerit : utpote
qui primâ statim pueritiâ maximè æmulum
avitæ paternæque virtutis se ostenderit .
Nam sub patre institui cùm cœpisset , quid
quæsò aliud ante oculos præterquam cultum
religionis habuit ? Cui rei studuit alii præter
quam bonis moribus ? quid obsecro petuit aliud
præter decus & honestatem ? nam cum præ-
clarissima domi Exempla haberet ; majorum
sibi suorum Virtutem non quam imitaretur ,
sed etiam quam superaret proposuit . ita id
etiam consecutus est , ut in eam familiam ,
qua nullo modo fieri illustrior putabatur ,
multum tamen luminis atque splendoris in-
tulerit . Hac itaq; ratione patriam disci-
plinam , candorem vitæ & sanctimoniam
non modo conservavit , sed postea etiam anno
millesimo quingentesimo octuagesimo quinto
studiis Serenissimi Electoris nostri FRIDERI-
CI IV. contubernalis factus , ita auxit &
confirmavit ; ut Principi in primis carus , iu-
cundus sodalibus , gratus esset omnibus ; &
illis

illis ipsis maximè, qui tum moribus & studiis
Illustrissimi Principis præerant : à quibus
hanc laudem reportavit, quòd, non dico fa-
ctis, sed ne verbis, imò ne vultu quidem in
ullam modestia & partem peccaverit unquam:
multò minus ex illorum numero fuerit, qui
quandiu sub magistrorum manu & directio-
nes sunt, morigeros se aliquantum exhibent,
liberi facti, ceu vituli, qui obligati stabulo
simulatque emittuntur, in effrenatam postea
& indomitam quandam licentiam erum-
punt. Ergo postquam doctrinā aliisque
exercitiis, maximè armorum, egregiè esset
instructus, animum ad militiam applicuit:
cūmque anno millesimo quingentesimo octua-
gesimo nono HENRICVS IV. Gallia & Na-
varra Rex, quem nuper durum & triste, hoc
est, parricidale fatum sustulit, militem in Ger-
mania colligeret, Ille nomen suum quoque
dedit; Regique per quadriennium fermè con-
tinuum, fidem suam atque industriam ita
probavit, ut, quanquam adolescens adhuc,
vix septendecim annos natus, adeò tamen
impleverit omnes partes boni militis, & fu-

B

turi Ducis , ut ob membrorum firmitatem
probè compactam , certaret cum veteranis ,
etatis etiam statæ ; nec interim destitueretur
consilio , sed , quæ rara copula est , & prælio
promptus foret & providentiâ non contem-
nendus : hoc est , exhibuit Galliæ hominem
prorsus ambidextrum , fuitque dux antea
quàm miles , veteranus quàm tyro , vir pro-
pemodum quàm adolescens ; virtusque non
annis , sed anni virtute in eo metiendi venie-
bāt . Imitatus in hoc insignes illos ac magna-
nimos belli Duces , Augustum Cæsarem &
Scipionem ; quorum uterque circa annum
decimum septimum & octavum , sago togam
permutato , in castra venit , cumque hostes sè pè
conflixit ; felicissimè verò ob causas honestissi-
mas bella sua ad exitum deduxit . Reli-
ctâ Galliâ , ubi ut diximus , per quadrienni-
um continuò militavit , Anno millesimo
quingentesimo nonagesimo secundo in ALSA-
TIAM cum Principis ANHALTINI exerci-
tu se contulit ; ibique bellum gerente LOTHA-
RINGO cum Capitularibus Evangelicis Epi-
scopatus Argentoratensis , sub auspiciis illu-
strissi-

strissimi Principis Domini FRIDERICI ER-
NESTI Marchionis Badensis &c. unàcum
duobus fratribus, EBERHARDO & VVIL-
HELMO, magna atque egregia sua virtutis
peritiæ bellicæ specimina edidit. Et cùm
generosum, secundum Sophoclis sententiam,
vel benè vivere, vel strenuè mori, vel certè
utrumque præstare oporteat; Generosissimus
Comes noster non contentus uni atque alteri
expeditioni interfuisse; sed cùm subsequēti an-
no millesimo quingētesimo nonagesimo quar-
to, Frater Eius EBERHARDUS, Heros ille
fortissimus, qui in sex expeditionibus celeber-
rimis, GALLIÆ, GERMANIÆ & BELGII;
modò capitaneum, modò magistrum equi-
tum, modò ducem egerat strenuissimum, ab
Ordinibus Statuum Belgicorum, ad oppu-
gnandam munitissimam urbem GRVNIN-
GAM, Dux quatuor mille peditum, & tre-
centorum equitum designaretur; Ille Fratri
ceu fidus Achates sese adiunxit; urbēmque
portentoſo oppugnationum inauditarum mo-
limine, potestate truculenti Iberi, suo consi-
lio, suā manu eripere iuvit. Ex Belgio

B 2

unà cum fratre anno sequente, millesimo
quingentesimo nonagesimo quinto, in Gal-
liam denuò secessit; cumque à Rege HENRI-
CO, Frater Legati summilocus obtineret, Ille
eidem vicarius fuit, donec in obsidione urbis
FERÆ Tartenorum Metropolis, Frater
EBERHARDVS non aperto Marte, sed insi-
dante eicasu, globotomentario lethaliter læ-
sus, paulò post obiret; ibi Ille solus exercitui
Germanico præfuit, eā quidem laude, ut ei
nec in eligendo consilium, nec in imperando
prudentia, nec in obeundo alacritas, nec in
exercendo labor, nec in confiendo industria
contentioque deesset: magno in angustis re-
bus animo, incredibili temperantiâ in secun-
dis, summâ in utrisque constantiâ utebatur.
Denique bellicis tumultibus in Gallia sedatis,
militem in Germaniam reduxit; eoquè anno
ob singularem reimilitaris peritiam, à MAU-
RITIO Illusterrimo Hassiae Landgravio,
militiæ eius, quæ pacis tempore belli observa-
ret vices, præficitur. Idem munus, eidem
impositum anno millesimo quingentesimono-
nagesimo septimo in Palatinatu inferiore, ab

Ele-

Electore Palatino serenissimo : in quo præclarè admodum se gesit usque ad annum millesimum sexcentesimū quartū ; ubi ducta in uxorem VRSVLA Comitissa de GLEICHEN , &c. feminā nulli sui ordinis castitate , pietate , dexteritate , & in primis amore in maritum secunda : quæ ita vivit , vel potius sic vixit (nam ut nunc seres habet , ita se macerat & conficit , ut ea vita qualibet haberim morte durior atque miserior queat) sic inquam vixit , ut fama illius concordissimi coniugii (quo non aliud convenit generosius unquam) ad plurimorum hominum aures pervenerit . Eodem anno provehitur à summo nostro Præfecto Domino Electore , in præfectum Prætorio , quem MARESCHALLVM vocamus : quod ipsum onus adeò erectis subiit humeris , ut minimis se adprobaverit & maximis ; atque ubi alii invidiam sibi atque odium largiter fenerantur , Ipse contra favorem benevolentiamq; omnium meruit ; aliis quidem etiam virtutibus , sed maximè tamen comitate ac mansuetudine ; utpote qui tantâ facilitate interpellantibus præberet ad-

B 3

tus; ut neque tempore neq^z loco ullo unquam
quisquam exclusus sit, quin & Eum adire, &
qua vellet libere loqui posset. Quid mirum?
cum omnes actiones, omnia munera qua obi-
bat, grato quodam sermonis lepore condiret,
aspectuque frontis decoro mirum in modum
illustraret. Imitatus Divi Augustimorem,
cuius meminit Suetonius, qui confirmaret
cunctantius adeuntes, etiam querimoniis
explicatis, & ne quid adhuc sileretur, inter-
rogaret. Eo in officio in præsentem annum
dum perseverat, non cessavit interim lauda-
bile m operam navare Electori nostro Cle-
mentissimo, in Legationibus ad Belgas, ad
Gallos ad Britannos; quibus universis ac
singulis, ita exsinuavit in rebus tractandis
religionem atque integritatem, in exsequen-
dis industriam & diligentiam, in consiliis
moderationem ac prudentiam, ut nulli non
fuerit in pretio atque in amore; invidenterq;
Palatinatui talem Gemmam, qua longum
adhuc longumque, publico suo privatoque
bono, eadem provincia utifrui potuisset,
nisi pestifera illa Papæ factio, eo deduxisset.

vene-

venenis sui lethiferam vim; ut eidē alexipharma con opponere haberent necesse, Germaniae Electores, Principes, Vrbesque primariae; si religionem à contagione nefanda, si libertatem à servitute intolerabili custodire amabant. Igitur dum communi concordia conantur bellum sui tutandicausā, flammāq; erumpentem avertere satagunt; eligitur cordatissimus Ille Comes OTTO, à Serenissimo nostro, ut praeasset copiis Palatinis, obseffuris unācum fæderato milite, infausti & ominosi nominis oppidum MOLSHEIM; quod, dum non statim vi & mucrone ferri obtinere querunt; noctuque ex hostibus plures præsidii nostris habitu amicorum propius accedunt, excitatoquè tumultu in parte castrorum, Ipse animi impetu generoso, tendit unācum suis in eam partem, qua hostem, circumvenire putavit: sed statim proh-dolor in primo adituglobuli ictu immortalitate illud dignissimum Petrus traiicitur: atque sic egregius Ille ductor, quo nemo unquam antea superiorum, aut dicenda pensius cogitavit, aut consultius cogitata disposuit, aut disposita maturius expedivit,

patuit

patuit in apertæ fraudi, alter veluti *Marcel-*
lus, quem insidiae *Punicæ* ab *Annibale* sub-
missæ, debitæ subtraxerunt victoriae. O ætatis
nostræ decus! ô clarissimum seculi nostri lu-
men! quid *Tibi* inter tot & tanta, aut na-
turæ, aut studii, aut fortuna ornamenta con-
cessum erat, quod non ad communem patriæ
salutem tibi datū esse arbitrareris? *Quam-*
obrem non est cur parum nostrum Comitem
vixisse doleamus: quandiu enim homines
erunt, tandiu memoriam, summâ suâ cum
gloriâ retinebunt: eruntque plurimi non in
Germaniatantùm, sed *Gallia*, sed *Anglia*,
sed terris longè dissipitis aliis, qui constanti ore
affirmabunt, Illum à perenni contestataque
virtute Majorū per illustris celebri que familiâ,
parentibus generosissimis genitum; adolescen-
tem optimum militem, optimum ducem fuisse;
solidaque virtute suprà plures nostri ævi ho-
mines insigniter excelluisse. Tantum
ergò abest, ut hoc ipsum fatum quis ominis
malibeat in futurum, aut adeò sinistriore
diverat interpretatione; ut vel ideo tanto
audientius deinceps in hostem illum nostrum
tende-

tendere debeamus: gnari, & Protesilaum vici-
mam factum pro Græcis contra Troiam; quē-
admodum & Monæcum pro Thebanis contra
Argivos; quemadmodum & Codrum Atheni-
ensium regem adversus Spartanos; quemadmo-
dum alios atque alios, tam Poetis decantatos,
quām Historicorū monumentis celebres: gnari
præterea, quibusq; initis prosperis, subsecu-
tum finem funestum; adeò quidem ut non du-
bitet asseverare Vegetius libro III. capite xxv.
si quis hunc casum ultimū putat, cogitet, even-
tus omnium præliorum, inter initia contraillos
magis fuisse, quibus victoria debebatur. Quod
ipsum etiam deinceps incruentā illius civitatis
deditio nere ipsā experti sumus; quodq; exem-
plorum locuplete farragine facile obsignarem,
nisi me punctum temporis reliquum vela con-
trahere juberet; & tantum non auribus inhære-
ret vox ea Comitis OTTONIS nostri, quā de-
testari solebat mortem longam, mortem lentam,
diuturnisq; interpolatam morbis; eodem nimi-
rum ingenius modo, quo Iulius Cæsar, qui cui-
dam interroganti, quod nam genus mortis esset
commodissimum? respondit, repentinum atque

C

inopinatum. Et taliter illud ipsum censeri à
Diis, hoc est, nullum maius præmium dare ami-
cis suis Deos, quā mortem subitaneam; experti
sunt varii: inter quos eminent, Iuvenes illi Si-
culi, Cleobis & Biton; ut parfratrum Amphi-
nomus & Anapus, nec non Delphicitempli con-
ditores, Agamedes ac Trophimus. Sic igitur
in ipso adhuc iuventutis flore, in ipsis carceribus
gloriarum suarū ostentata est nobis simul & ra-
pta, illa candida, illa audax, illa modesta a-
nima; uti ratificaret dictum Menandri, quo
voluit D E O amatos, non diurnare in his terris,
sed juvenes subduci in cælū, relieto interim fru-
ctu æternæ gloria immarcesibili. Macte hoc
vitæ exitu cruento, Comes Generosissime, macte
finetam subitaneo, quem tantū non animo Tuo
præsagiisti; ideoque antequam ei Te accingeres
expeditioni, de ultima Tua voluntate mansu-
ras fecisti testamentitabulas. Quidni enim tale
quid augurareris, poneresque mortem quasi in
procinctu, cui cognitissimū erat, Martem for-
tissimum quemque sibi propriè pignorare, con-
temtotimidisimo quoq;? Quidni præterea do-
tatißimus omniū bonorum, qua Natura, Vir-

tus,

tus, Honor, Sors, Musa in mortalem aliquem
unquam contulerunt; dignum præterea Te du-
ceres eam morte quam prædicaveras? Et præsentis
et futuris seculo verè beatus; verè beatus in qua,
sive Christianā professionem intueamur, quam
in Concionē sua funebri dilucide satis diduxit
vir Reuerendus atque Clarissimus Dominus
Bartholomaeus Pitiscus; sive etiā Ethnica con-
templemur dogmata. Nam si longior quæq[ue] vi-
ta, etiam esset optima; nusquam inveniremus,
ex antiquis eminentissimos quosque pauciores
vixisse annos: Patroclum inquam et Antilo-
chum, Sarpedonem puta et Memnonem, ut et
Achillem et Hippolytū, et Alexandrum Ma-
gnum, et sanguinis eiusdē Pyrrhum; omnes aut
Deis natos, aut Deorum liberis nepotibusque.
Quid enim ineptius (ne quid acerbius dicam)
quam cogitare, Deos suis ipsorum natis, et quos
maxime dilexerunt, velocem præstitisse obitum,
nisi eum ipsum existimasset omnibus omnium
esse præstantissimū? Quid? Sed iam hora mihi
intercidit sermonis filum. Macete igitur iterum
hoc fato Tuo, Comes Excellentissime, macete hac
animi nostri qualicunq[ue] gratitudine, qua vlti-

C 2

mas Tuas exsequias prosequimur; affectu maiore quam effectu, voluntate uberiore quam facultate. Det Deus Opt: Max: ut quos annos Tibi subtraxit, eosdē distribuat cum fænore suo, non illo nostro centesimo, sed illo omnium uberrimo, hoc est, cælesti: distribuat, inquam, mæstissimæ Dominae VIDVÆ, Generosissimo Germano Fratri, Domino JOHANNI-ALBERTO &c. ut etiam reliquis Dominis FRATRIBVS & familiae SOLMENSIS Comitibus verè generosis; qui que adeò nunc in Martiis castris versantes, magis solliciti sunt de fama, de honore, de gloria; quam de periculis, de incommodis, de ultimo fato: nullum discrimin detrectant pro religionereformata, pro libertate avitâ, pro decore deniq; & imperio Patriæ suæ Germaniæ: quam ipsam Patriam, uti supremum Numen tutelæ suæ commendatam habere dignetur, inq; ea nostrum columen, serenissimum ELECTORÈM in columem servare non gravetur; ardentium suspitorum voto, unâ cum toto hoc auditorio, quorum animos ex vultu facile cognosco, voveo, opto, venerorque.

